

## Tours 35 (lat)

### XXXV DONATIO AD ECCLESIAM POST OBITUM

<sup>1</sup>Lucrum maximum credimus animarum, si, dum unusquisque corporibus motibus terram inhabitat, pro amore cogitet domus aeternae vel amore temporalium rerum sperandarum sibi cumulet munimina divitiarum, aut certe, si id, quod remanendo perire poterat in saeculo, in alimoniis pauperum vel loca distribuatur sanctorum Dei.

Quam ob rem ego in Dei nomine **ille** pertractavi tam de Dei parte quam et reverentia sancti **illius** civitatis, ubi ipse praetiosus domnus in corpore requiescit, seu animae meae remedium:

Ad sacrosancta basilica sancti domni **illius** eiusque congregatione, ubi **ille** abba vel rector praeesse videtur, dono donatumque in perpetuo esse volo, hoc est villam, rem proprietatis meae, nuncupantem **illam**, sitam in pago **illo**, super fluvium **illum**, in condita **illa**, cum omnibus adiecentiis vel appendiciis suis; quantumcumque ad ipsam villam aspicere vel pertinere videtur, vel quantumcumque inibi presenti tempore mea videtur esse possessio, totum et ad integrum per hanc donationem tibi trado atque transfundo. Eo videlicet modo, ut, dum ego in capud advivo, ipsa villa cum omni integritate usualiter sub praetexto ipsius basilicae tenere et usurpare faciam. Post meum quoque discessum ipsa villa cum omni integritate vel supraposito, hoc est cum terris, domibus, aedificiis, accolabus, mancipiis, vineis, silvis, pratis, pascuis, aquis aquarumve decursibus, mobilibus et immobilibus, pecuniis, peculiis utriusque sexus, praesidiis vel omni supellectile, vel quod ibidem in antea addere, adtrahere, comparare aut emeliorare potuero et transitus meus ibidem dereliquerit, pars ipsius basilicae, eius rectores, absque ullius expectata traditione vel iudicum consignatione, in eorum vel ipsius basilicae faciant revocare potestate vel dominatione. Et ad ipsam sanctam basilicam proficiat in augmentum, quia<sup>a</sup> mallo hoc post meum discessum ipsa[m]<sup>b</sup> basilica[m] habere quam ceteris heredibus meis.

Si quis vero ...

<sup>a</sup>quia ... mallo] qui mallo mit Hinweis: lege quia malo Zeu.

<sup>b</sup>ipsam basilicam] für ipsius basilicae Wa, Zeu.

<sup>1</sup>[Zeu. Tours 37]